



## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Cvrsvs Theologici ...**

Ea Brevitate Conscriptus, Qvam Tot Tantarvmqve Rervm Amplitudo Et  
Varietas Patitvr ...

Quas Prima Pars Et Prima Secundæ Divi Thomæ Complectvntvr -  
Qvæstiones Insvper Ad Mores & praxim spectantes, quæ peculiarem cum  
Scholasticis habent connexionem, declarantur

**Carleton, Thomas Compton**

**Leodii, 1659**

Dispvatio XVI. De æqualitate & inæqualitate visionis beatificæ.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13718**

# DISPUTATIO DECIMA-SEXTA.

## De aequalitate, & inaequalitate visionis beatifica.

### SECTIO PRIMA.

*Sintne beati omnes in gloria aequales futuri, vel omnes inaequales. Vbi de diversitate specificâ visionum Dei.*

I. *Homines aliqui in gloria essentiali sunt aequales.*



**D**ico primò: ut homines aliquos sibi in visione, seu gloria essentiali esse intensivè æquales est verosimile, ita nonnullos in eâ futuros inæquales, certum est de fide. Prima pars probatur in infantibus, qui cum sine ulla omnino meritis decedant, & gratiam eodem modo recipiant, nempe per baptismum; sicut nullum est fundamentum dicendi eos esse inæquales in gratia, ita nec erunt inæquales in gloria, cum gratia sit semen gloriae, parique proinde cum eâ semper passu procedat. Idem est de infantibus qui martyrium ante vel post baptismum susceptum subierunt. De adultis etiam satis probabile est, aliquos inter se, ut in meritis, ita etiam in gloria, seu premio essentiali, fore æquales: quod fortassis etiam de Angelis dici potest.

II. *Multi in gloria essentiali futuri sunt inaequales.*

Secunda Conclusio pars definita est in Concilio Florentino, in literis unionis: ubi habetur, homines à peccato immunes, post mortem in caelum mox recipi, & intueri clarè ipsum Deum Trinum & Unum sicuti est, pro meritorum tamen diversitate, alium alio perfectius. Deinde Apostolus primò ad Corinthios 15. Sicut stella, inquit, differt à stella in claritate, sic erit resurrectio mortuorum: Ergo & similis erit diversitas in gloria animarum, ad quam, velut ad radicem, sequitur gloria corporis. Hunc autem locum de diversitate gloriae in caelo intelligunt Patres omnes contra Jovinianum dicentem, omnes in gloria fore æquales. Unde ait Christus Joannis c. 14. Vado parare vobis locum, & statim subjungit, in domo Patris mei mansiones multae sunt; quod ob varietatem dictum esse, communis est Patrum sententia.

III. *Merita inaequalia inaequalem inferunt gloriam.*

Ratio est: gloria siquidem datur intuitu meritorum; sicut ergo merita sunt inaequalia, ita erit & gloria, seu premium & corona meritorum. Unde in parabola vineae, ubi omnes in premio fuerunt æquales, fuerunt etiam æquales in merito, licet postremi ampliore gratiam, & alia media sibi concessa habuerint; per quae brevi tempore assecuti sunt ceteros. Unde murmuratio illa non fuit vitiosa, utpote quæ in beatis reperiri non potest, sed quædam admiratio.

IV. *Diversitas peccatorum inferre diversitatem poenae; Ergo & meritorum diversitas diversitatem praemii.*

Secundò probatur à posteriori: homines enim quò gravius in hac vitâ peccaverunt, eò gravius puniuntur, poenâ in varietate respondente varietati criminum; ergo idem est de premio correspondente meritis. Dices: poena damni in omnibus est æqualis, ergo & visio, quae est gloria essentialis. Sed contra: hoc enim probaret, omnes in caelo habituros non gloriam solum æqualem, sed sum-

mam, imò omnem, cum damnati omnes priventur omni gloria. Resp. itaque, poenam damni sumi dupliciter, vel quoad privativum quod dicit, nempe carentiam visionis divinae, desertionem Dei, & negationem omnium auxiliorum ad bene operandum: vel quoad positivum, nempe vehementem apprehensionem illius status, tristitiam, & alia quae inde sequuntur, quae licet ab aliquibus censeantur spectare ad poenam sensus; cum tamen orientur per se & directè ex illis privationibus quae constituunt poenam damni, censeferi merito possunt spectare ad poenam damni, ut bene declarat Suarez Tomo 4. in 3. p. d. 13. sect. 2. num. 17.

Quoad primum ergo, omnes damnati sunt æquales, saltem materialiter, cum priventur omni visione Dei; nec hoc est mirum, cum poena isthac hoc modo sumpta, consistat in indivisibili, licet magis vel minus gravis dici possit ratione diversitatis peccati, cujus intuitu infligitur. At verò praemium essentialis, seu visio, habet latitudinem, nec quivis actus meritorius meretur collationem omnis visionis Dei, sicut quodvis peccatum mortale meretur omnis visionis Dei carentiam. Quoad positivum verò quod dicit poena damni, est inaequalitas in damnatis, licet, ut docet P. Suarez disp. 7. de peccatis, sect. 3. & insinuat Tannerus de Incarnat. d. 1. q. 2. dub. 10. num. 333. quodvis peccatum mortale mereatur graviolem & graviolem poenam in infinitum.

V. *Sintne damnati omnes poena damni aequales.*

Difficultas est, utrum visiones hominum & Angelorum differant secundum entitatem specificam, ita ut qualis diversitas est in principis, talis sit in visionibus. Sermo est de qualitatibus, non de actionibus; has enim specie physica differre secundum diversitatem principiorum nemini dubium esse potest. Quod etiam aperte sequitur, si dicantur hae qualitates esse modi, & uniones sui ad subjectum; tunc enim diversae necessario erunt pro diversitate subjectorum, cum diversus respectus transcendentalis in unâ reluceat, qui non relucet in aliâ: nec enim ulla est ratio si respectus intentionalis ad diversa objecta reddat visiones specie diversas, ut constat in visione albedinis & nigredinis, cur id non praestet respectus physicus ad diversa subjecta.

VI. *Verum visiones hominum & Angelorum differant specie.*

Posito itaque quòd sint qualitates absolutae, non modales, putant aliqui visionem, qua Angelus videt Deum, vel solum, vel simul cum his decem creaturis (debet enim supponi objectum esse planè idem) differre specie à visione qua anima Deum cum illis decem creaturis cerneret. Ita inter alios P. Erige hic, d. 49. c. 4. num. 44. & 60.

VII. *Affermans aliqui.*

Dico secundò: nullam apparere implicantiam quò minus duae visiones beatificae, hominis altera, altera Angeli, etiam si idem habeant objectum tam primarium, quam secundarium, possint esse diversae speciei: quidni enim petere potest hae visio connaturaliter procedere ab homine, illa ab Angelo; hic autem est diversus respectus transcendentalis speciei: sicut enim dependentia essentialis à principis specie distinctis, facit distinctionem specifi-

VIII. *Possibiles sunt visiones hominis & Angeli, ejusdem omnino objecti, specie inter se distincta.*

specificam in actionibus, ita dependentia connaturalis id praestabit in qualitatibus; reluet enim in una visione praedicatum specie distinctum, quod non reluet in alia. Imò secundum conceptum specificum latissimè sumptum, pro quacunque diversitate, seu dissimilitudine qua minor reperiri potest (quae distinctio specifica logica, seu secundum quid, dici potest) duae visiones hominum, ut Petri & Pauli, distinguuntur specie, si determinatè peccant procedere ab uno, non ab alio.

**IX.**  
*Utrum visio Angelus procedat nequeat ab anima, incertum.*

Utrum autem de facto visiones beatæ, Angeli & animæ, dicant huiusmodi respectum transcendentalem determinatum ad sua principia, nihil certi statui potest, spectatis tantum intrinsicis harum qualitatum entitatibus: ex una enim parte id suadere videtur, quòd cum sint actus vitales, & peccant procedere ab intrinseco, majorem habere videantur connexionem cum suis principiis, quam habeant calor, frigus, & alia huiusmodi qualitates, quæ frequenter producantur ab extrinseco. Hoc nihilominus non convincit; dici enim potest, peccare quidem procedere ab intrinseco, cum sint actus vitales, & consequenter ab extrinseco connaturaliter esse non posse, non tamen peccare procedere determinatè ab intrinseco ab hoc principio; non ab alio, sed quoad hoc esse indifferentes. Unde verius existimo, eandem numero qualitatem visionis ab Angelo & animâ elici connaturaliter posse.

SECTIO SECUNDA.

*Utrum intellectus inaequales, cum aequali lumine, inaequaliter Deum videant.*

**I.**  
*Intellectus inaequales cum aequali lumine, aequaliter vident Deum.*

**C**ONCLUSIO: Si lumen sit aequale, intellectus inaequales, puta hominis & Angeli, aut duorum Angelorum, non eliciunt visionem inaequalem: ac proinde intellectus perfectior, si habeat idem lumen cum imperfectiore, non operatur perfectius. Ita S. Thomas hic, q. 12. a. 6. quem sequuntur Thomistæ omnes, præter Cajetanum qui 3. p. q. 10. a. 4. ad 2. ait, si Verbum Divinum assumeret naturam Angelicam, perfectius videret Deum cum aequali lumine, quam modò videt per naturam humanam. Nostram etiam sententiam tenet Valentia hic, d. 1. punc. 4. Suarez lib. 2. de Attrib. nega. cap. 21. Valq. d. 47. cap. 6. Arrub. d. 22. c. 2. Tannerus hic, d. 2. q. 6. dub. 5. Granada tract. 5. d. 11. sect. 2. & alii. Contrarium tamen præter Cajetanum jam citatum, tenet Scotus in 3. d. 13. q. 3. cum suis, Durandus in 3. d. 14. q. 1. Molina ad hunc articulum, disp. 2. Lessius de sum. Bono, lib. 2. cap. 9. Erice d. 49. num. 60. & alii nonnulli.

**II.**  
*Aequè intensos actus producere potest homo, ac Angelus.*

Probatur Conclusio: Hic excessus, quo intellectus perfectior cum aequali lumine superaret in operando imperfectiorem, deberet esse, vel in intensione, vel in perfectione specificâ: non primum; nulla enim est ratio, cur non aequè possit intellectus humanus intensè conari, ac Angelicus, saltem juxta intensiorem luminis, quod ponamus ut quatuor, vel sex: potest enim intellectus humanus conari ut sex in ordine ad actum naturalem; cum ergo habeat principium supernaturale operativum ut sex, aequè ac habet Angelus, eliciet actum aequè intensum. Imò licet una res ab aliâ quoad specificam perfectionem superetur, & effectus similiter

producat in specificâ perfectione inferiores, potest nihilominus aequè intensos producere: Sic terra igne imperfectior, aequè intensas tamen producit suas qualitates, ac ignis suas, quod & in aliis multis cernitur.

Quòd etiam intellectus angelicus habens lumen solum aequale lumini, quod habet humanus, non producat visionem in perfectione specificâ meliorem, probatur: non enim hic agit intellectus, vel humanus, vel angelicus secundum naturalem operandi modum in cognoscendo Deum, cum scilicet representando instar rei creatæ, sed longè aliâ & elevatiore ratione. Cum ergo ambo intellectus extrahantur à naturali operandi modo, solumque agant ut elevati, & ipsa quoque elevatio sit aequalis, non est cur non operentur aequaliter.

**III.**  
*Intellectus Angeli in eliciendo visionem, non procedit secundum naturalem operandi modum.*

Secundò probatur: alioqui namque sequeretur, duos homines, si intellectus habeant inaequales, vel duos Angelos, seu Angelum & hominem aequalis meriti, inaequales futuros in essentiali beatitudine, & inaequaliter visuros Deum; nam ad hoc, secundum adversarios, sufficit sola major perfectio naturalis intellectus, quem hic reperiri supponimus.

**IV.**  
*Incommensurabilem ex illa sententia fecerunt.*

P. Vasquez, & Arrubal citati hoc argumentum ut inefficax rejiciunt; facile enim, inquit, negari potest antecedens; nam quò intellectus alterius est perfectior, eò minùs habebit luminis, ut hac ratione aequales eliciant visiones. Alii dicunt, non quidquam ei luminis detrahendum qui perfectiorem habet intellectum, sed tantum habiturum, quantum ejus meritum postulat; alteri tamen plus dicunt luminis conferendum, cum Deus præmiat ultra condignum, & hoc pacto, inquit, erunt in visione & beatitudine pares.

**V.**  
*Inefficax quorundam argumenti hujus solutio.*

Sed neutra solutio satisfacit: non prima, Deus enim nihil unquam de præmio minuit quod opus bonum meretur, sed auget potius; cum ergo non solum visio, sed etiam lumen sit præmium supernaturale, non minùs quam gratia habitualis, & habitus, aliaque dona supernaturalia, sitque maximum ornamentum animæ, non est dicendum, Deum quidquam de illo diminuere; alioqui idem dici posset de aliis donis supernaturalibus. Nec certè videtur æquum, ut optimè notat Suarez citatus, n. 7. ut qui aequaliter meruit, privetur tanto ornatu supernaturali, ut est lumen gloriæ, solum quia habet præstantius ingenium.

**VI.**  
*Deus nihil unquam à premio minuit, quod opus bonum meretur.*

Deinde, ut notat idem Suarez loco supra citato, sicut minùs luminis, ita minus habitus charitatis eidem deberet infundi; sicut enim intellectus perfectior cum aequali lumine perfectiorem visionem, ita voluntas perfectior cum aequali habitu charitatis perfectiorem amorem eliceret, præsertim, cum, ut fatentur adversarii, haberent illi duo visionem aequalem, si merita sint aequalia: sequelam autem non posse concedi, videtur certum; amor quippe in patria, vel est de essentia beatitudinis, vel saltem de illius integritate. Secunda etiam solutio facile rejicitur: Deus enim non minùs præmiat ultra condignum, præstantiorem intellectum, quam minùs præstantem, nec ulla est ratio dicendi contrarium, nisi peccatur principium.

**VII.**  
*Si minus luminis infundatur eidem minus habitus charitatis.*

Dicunt alii cum P. Molina citato, iis qui habent aequalia merita, scilicet per infundi lumen similiter aequale, Deum tamen ita suum concursum attemperare, ut non concurrat cum eo, qui habet perfectiorem intellectum, secundum totam exigentiam luminis, sed solum aequali concursu illi, quem præbet intellectui imperfectiori. Sed hoc gratis dicitur, nec ulla reddi causa potest absque petitione principii

**VIII.**  
*Secunda solutio non potest, postea rejicitur.*

**VIII.**  
*Grati dicitur haberi tibus lucis aequale, Deo præbere concursum non aequalem.*

principii, cur lumini non præbeatur utrobique concursus quem connaturaliter exigit, nec cur subiectum illud ob præstantiorem intellectum privetur concursu sibi debito. Adde, hoc esse, perpetuam vim rebus inferre, nec minus est violentum lumini, quod Deus neget ei concursum sibi debitum, quam quod eundem neget luci, aut calori; nec minus miraculum perpetuo operaretur Deus in hac subtractione concursus circa lumen, quam fecit circa ignem Babylonium, cum non minus petat illud concursum ad visionem, quam hic ad combustionem.

IX. Sine fundamento etiam dicitur lumini in diversis intellectibus aequali dari in claritate inaequales.

P. Erice d. 49. citata, cap. 4. num. 61. ait, posse qualitatem perfectiorem esse minus claram; sicque Deum ei qui habet perfectiorem intellectum, dare quidem lumen aequale lumini alterius, visionem tamen minus claram, ut quantum superat alteram visionem in perfectione specificâ, tantum cedat in claritate, & hoc pacto constituitur aequalitas. Sed contra: eadem enim sequuntur ex hac solutione inconvenientia, quæ ex aliis; lumen enim aequale petit connaturaliter visionem ejusdem claritatis, quæ si negetur, infertur lumini vis, estque, ut dixi, perpetuum miraculum, quod tamen censet inconveniens P. Erice impugnans solutionem P. Molinae. Quod verò connaturaliter petat visionem tantæ claritatis, patet: nam nulla est ratio, cur non petat æquæ claram visionem cum perfectiore intellectu, atque cum imperfectiore. Unde si sine meritis daretur hoc lumen, æquæ claram visionem in perfectiore intellectu produceret, ac in imperfectiore: cur ergo is ob præstantius ingenium privabitur eâ claritate visionis, & tanta vis perpetuo infertur rebus.

X. Meritis aequalibus semper tribuitur Deus primum aequalia.

Aliam tradit solutionem P. Erice num. 62. & concedit totum; nec enim, inquit, in hoc quidquam est incommodi. Sed hoc Theologorum omnium sententiæ adversatur, qui planè renuunt concedere Deum, qui primum reddidit ex iustitia, & instar coronæ, dare meritis aequalibus inaequale primum. Dices, non fore majus primum formaliter, sed solum materialiter, cum non clarius videat Deum unus, quam alius. Contra primò: visio perfectioris intellectus est qualitas supernaturalis excellentior visione alterius, & magis ornat animam; ergo est præstantius primum formaliter. Contra secundò: eodem quippe modo dici posset, dari iis alia dona supernaturalia diversa & inaequalia, quod planè esset divinare.

SECTIO TERTIA.

Objectiones contra aequalitatem visionis beatificæ in intellectibus inaequalibus.

I. Actiones diversarum visionum producantur sequuntur naturam terminorum.

OBJICIES primò contra secundam probationem sectione præcedente, numero secundò positam, omnes admittere debere, hominem & Angelum cum aequalibus meritis habere primum inaequale, nempe aliquid supernaturale præstantius, ergo &c. probatur sequela, esto enim qualitates visionum in homine & Angelo sint æquales, actiones certè erunt inaequales, cum essentialiter respiciant principia inaequalia, ergo in idem inconvenientem recidimus in actionibus, quod vitare conamur in visionibus. Resp. negando sequelam: actiones namque perfectionem suam sumunt, non secundum perfectionem agentis, sed termini: cum

R. P. Comptoni Theol. Scholast. Tom. I.

enim sunt via ad terminum, & causalitas illius, tantum habent perfectionis quantum terminus requirit, nec actio qua sol, vel Deus solus ut causa particularis producit calorem, est perfectior actione, qua idem calor produceretur ab igne, vel calore.

Obji. secundò: etsi actus fidei supernaturalis sit, melior tamen intellectus cum aequali auxilio, seu lumine fidei, perfectiorem actum fidei elicit; melius enim & perfectius sublimia illa mysteria fidei percipit Theologus, quam rusticus. Nec satisfacti quod respondet Suarez cap. 27. num. 16. perfectius quidem apprehendere illa mysteria per apprehensiones prævias, Theologum quam rusticum, in iudicio tamen, seu assensu fidei esse pares: nam contra hoc est; nec enim solum perfectius hæc mysteria concipit per apprehensiones prævias Theologus, sed etiam perfectius de iis iudicium elicit. Quicquid ergo sit de hoc, Respondeo, disparitatem esse, quod in via intellectus circa Deum, & alia mysteria fidei, non extrahatur à naturali operandi modo, res enim spirituales apprehendit instar corporis &c. sicque nil mirum, si intellectus perfectior perfectius res illas apprehendat, & præsentet. Utrum autem non physicè tantum, sed etiam moraliter, seu in ordine ad meritum, actus fidei elicitus ab Angelo, superet actum fidei quem elicit homo, aut actus quem elicit Theologus, actum rustici, non est eadem ratio; esto enim, aliquando plurimum conducat ad meritum perfectius rerum conceptus, multa tamen alia ad augmentum meriti concurrunt, quæ in rustico reperiri possunt.

II. Diversitas in modo operandi in via, non patitur.

Quid de actibus fidei censendum in ordine ad meritum.

Objicies tertio, estque præcipuum fundamentum contrariæ sententiæ: causa, præsertim necessaria, quò perfectior est, eò perfectiorem producit effectum; sed intellectus informatus lumine, est causa necessaria, & intellectus Angelicus cum lumine, A. perfectius complexum est, & causa totalis nobilior quam intellectus humanus cum eodem lumine A. ut constat, ergo. Omisiss variis quæ adhiberi solent solutionibus, Respondeo, argumentum vel procedere de perfectione intensivâ effectus, vel specificâ; si de primâ, non semper causa perfectior producit effectum intensiorem; ignis enim est terræ perfectior, & tamen hæc producit intensiorem siccitatem, & sic de aliis.

III. Objicies: causa perfectior perfectiorem semper producit effectum.

Adde, mensuram intensiois in visione beatificâ, secundum communem sententiam, desumi à lumine; unde, sicut si Deus concurrens loco luminis, esset paratus concurrere tantum ut quatuor intellectus non posset producere visionem nisi ut quatuor, ita si infunderet lumen solum ut quatuor, non posset intellectus operari nisi ut quatuor: concursus enim Dei extrinsecus ut quatuor, ordinatur ad supplendam efficaciam luminis ut quatuor. Quod si quis cum P. Salas & aliis nonnullis, velit intellectum Angelicum posse producere visionem intensiorem, quam sit lumen; idem dicere poterit de intellectu humano, & consequenter æquæ intensam elicere posse visionem, ac potest intellectus Angelicus.

IV. Intenso visiois sequitur intensioem luminis.

Si verò sermo sit de perfectione specificâ effectus, nec etiam est universum verum: sol enim non producit perfectiorem calorem, quam ignis, aut calor &c. Sed quicquid sit de aliis, hic cum uterque intellectus, ut dictum est, extrahatur extra naturalem operandi modum, nullum est fundamentum dicendi, perfectiorem visionem ab uno intellectu effici, quam ab alio; nec enim operantur ut intellectus humanus & Angelicus, sed merè ut intellectus elevati, ad eum fere modum ac quando

V. Causa perfectior non semper producit effectum specificè perfectiorem.

aqua & oleum elevantur ad producendam gratiam, in sententia asserente gratiam physicè à Sacramentis produci; esto enim entitative sint inæqualia oleum, & aqua, ut tamen substant elevationi, sunt æqualia, in ordine ad producendum gratiam.

VI.  
Lumen gloria non magis petit intellectum Angelicum, quam humanum.

Sic ergo lumen gloriæ, licet requirat intellectum ut visionem producat, ob varias formalitates in visione, vitalitatem scilicet, &c. quæ requirunt intellectum, non tamen magis hunc intellectum requirunt quàm illum, humanum, quàm Angelicum, sed eadem qualitas visionis, ut in fine sect. primæ dixi, indiscriminatim ab anima & Angelo produci, & in iis recipi potest. Utrumque ergo intellectum elevat, non tanquam hunc, aut illum intellectum, sed solum ut intellectum: quod inde colligimus, quia neutra visio procedit secundum naturalem modum operandi intellectum, cognoscendo scilicet Deum instar rerum creaturarum, sed clarè cum videndo sicuti est; in quo, ut dixi, differt elevatio ad visionem, ab elevatione ad alios actus supernaturales in via: adhuc enim in his servat intellectus modum operandi naturalem, cum similes actus naturales possit circa eadem objecta elicere, sicque perficitur intellectus juxta naturalem operandi modum, quod contra contingit in visione.

SECTIO QUARTA.

Inferuntur quedam circa visionem beatificam.

I.  
Visio beatifica esse potest specie distincta.

Hic ulterius infero cum P. Erice I. p. d. 49. c. 3. num. 3. P. Granada, tract. 5. d. 8. n. 4. & aliis, visiones beatas posse esse specie physicè diversas, etiam ubi objectum primum est planè idem: si enim dari possit visio qua una Persona clarè videatur sine aliâ, aut Essentia sine Attributis, &c. non videtur dubiù quin visiones illæ futuræ sint specie distinctæ.

II.  
Ostenditur diversitas specifica visionum.

Ratio Conclusionis est, quia possunt esse representationes specie diversæ, ergo. Probatur antecedens: cognitio omnis, cum dicat essentialem ordinem ad suum objectum, tantam necessariò habet varietatem in representando, quantum objectum in

essendo: sed visio, quæ clarè representaret Deum, & in eo sex homines, haberet objectum valde diversum à visione quæ representaret Deum & in eo sex Angelos, vel leones: ergo esset ordo transcendentalis specie distinctus ab alterâ visione, & consequenter visio specie distincta. Confir: Visio quæ unam creaturam in Deo representaret numero distinctam à creatura quam representat alia, esset numero ab illâ distincta; ergo quæ specie distinctam representat, distingueretur specie. Dices: Sola varietas est in objecto secundario & materiali, non formali & primario, quod utrobique est Deus. Resp. Varietatem in objectis secundariis sufficere ad diversificandam visionem, cum non minùs verè ea representet, quàm primum, sitque verus ordo transcendentalis ad illa: & per hæc solvitur præcipuum fundamentum oppositæ sententiæ.

Contrarium tamen tenet Suarez hic, lib. 2. c. 19. Molina, Salas Tom. 1. tract. 2. d. 3. f. 9. & communior sententia Theologorum. Arguunt præter dicta; quia gratia & charitas ejusdem speciei est in omnibus Beatis, ergo & visiones, quæ gratiam tanquam radicem sequuntur. Sed contra: visiones enim peculiariter respiciunt sua objecta, ad quæ dicunt ordinem transcendentalium, quod in gratia non contingit.

Arguunt ulterius ex auctoritate S. Thomæ, qui hic, q. 12. a. 6. id videtur asserere. Sed, ut benè notat P. Erice citatus n. 34. solum loquitur S. Thomas de visione Theologicè sumptâ, & de primariâ illius specificatione, seu præcisè in ordine ad Deum, quo sensu dicitur, omnium Beatorum unum esse primum essentialium; sub hac namque consideratione omnes visiones sunt æquales; nulla enim representat Deum mediatè tantum, seu per similitudinem prius visam, & hoc solum excludere velle videtur S. Thomas loco citato, non tamen excludit differentiam ortam in visionibus ex objectis secundariis. Conveniunt ergo visiones omnes hoc sensu, & Theologicè, seu in ratione beatitudinis, differunt tamen physicè: sicut omnes species logicè sunt æquales, cum una tam sit species, quàm alia, physicè tamen una longè superat aliam, homo v. g. aut Angelus, leonem.

III.  
Negari alicuius visionis beatificæ specie distinctæ.

IV.  
Visiones innes beatificæ Theologicè sumptæ, specie non distinguuntur.

Physicè videtur sumptæ distinguuntur specie.

DISPVT. DECIMA-SEPTIMA.

De Relatione transcendentali Dei ad creaturas.

I.  
Hac quaestio ad objectum visionis cognoscendum, est necessaria.

AD disputationem de objecto visionis beatificæ, rectèque intelligendum quo pacto creaturæ in Deo videantur, quæ hodie celeberrima est in scholis quaestio, necessariò præmittendum, utrum Deus transcendentaliter referatur ad creaturas: ut enim, si detur hæc relatio, seu essentialis Dei cum creaturis possibilibus cõnexio, intellectu facillimum est, quâ ratione creaturæ in Deo videantur; ita si nulla hujusmodi relatio & connexio Deum inter & creaturas intercedat, agrè ostenditur quo modo ex vi visionis Dei videantur creaturæ, ut Disp. sequente ostendemus.

II.  
Quid nomine relationis transcendentalis intelligatur.

Per relationem ergo transcendentalium intelligimus essentialium rei unius cum aliâ connexionem, ita ut hac implicante, illa similiter implicaret. Querimus itaque, an Deus ratione Omnipotentia, Scientia, & aliorum Attributorum, ita cum creaturis possibilibus connectatur, ut his implicantibus, Omnipotentia, vel Scientia, & consequenter Deus implicaret.

Dux hæc in re oppositæ sunt inter se sententiæ, maximeque, inter recentiores præsertim, controversæ, aliis Relationem hanc transcendentalium afferentibus, aliis negantibus; qui proinde dicunt, esto creaturæ omnes implicarent, nihilo tamen secius Omnipotentiam, aliisque Dei Attributa illæsa permanentia & integra, utpote quæ hi auctores non absoluta ponunt, sed conditionata, & per possibilitatem tantum creaturarum, positionemque alicujus extrinseci transcendentia in absoluta.

Mihi in hac controversia, verior semper visa est pars affirmativa, dari scilicet Relationem Dei ad creaturas, nec salvâ Omnipotentia, aliisque nonnullis Attributis, negari posse. Hanc Conclusionem, relatis in utramque partem sententiis, rationibusque discussis, latè probavi Disp. sexta Physicorum, ubi dicta videri poterunt; hic enim ea de novo repetere, supervacaneum foret.

III.  
Dux opposita de relatione transcendentalium sententiæ.

IV.  
Deus transcendentaliter referatur ad creaturas.